

dixitque inter alia: „Imperator, ad unius mulieris petitionem vultis occidere filium vestrum dilectissimum innocentem. Vos debetis facere uxori vestrae ut fecit quidam senex uxori suae“. Et dixit rex: „Quid?“ Sed prius promissio facta [est] philosopho quod filium non vellet occidi. Dixitque philosophus:

TENTAMINA.

„Quidam senex habebat uxorem quandam valde pulchram et juvenem, quae multum cogitavit sibi unum amasium invenire. Sed eum illud caute facere vellet ivit ad matrem dicens ei. Mater vero dissuadens sibi talia, sed videns filiam nimis ad venerem praeparatam dixit ei: ‘Fac aliquam gravem injuriam marito tuo et si non turbabitur ego inveniam tibi viam.’ Ait filia: ‘Quid?’ At illa: ‘Vade et insecide de viridario mariti tui laurum <sup>1)</sup>’ quam senex ille multum diligebat ‘et ponas ad ignem, et si non turbabitur, inveniam tibi amasium.’ Fecitque illa. Videns autem senex laurum insecisam <sup>2)</sup> petiit quis fecisset, dixitque mulier: ‘Ego. Nam non erant ligna pro igne.’ Senex quia multum diligebat mulierem dixit sibi: ‘Male fecisti; sed cave ne amplius facias similia.’ Rediens uxor ad matrem dixit sibi quod factum erat et iterum ab ea amasium postulabat. Dixit mater: ‘Probes eum adhuc semel, et vade occidens leporarium’ quem senex multum diligebat ‘assumens occasionem quod pannos in camera devastasset’. Fecitque puella et senex respondit ut prius. Iterum rediebat ad matrem. At mater dixit: ‘Proba tertia vice et promitto tibi quod si tunc non turbabitur, faciam quod poscis.’ Dixitque filia: ‘Non possum me amplius continere. Si tu non inveneris mihi clam, ego inveniam mihi palam.’ Suadens autem sibi mater, dixit filia: ‘Quid vis ut faciam?’ Respondit mater: ‘Maritus tuus die dominico faciet magnum convivium et multos nobiles invitabit sicut mos est fieri. Illa die, ipso autem cum omnibus aliis discumbente, vade et sede juxta eum et verte caput tabaleae mensae ad clavem quam apud latus tuum habes, et tunc facias te vocari; surge impetuose ab eo ita quod cadat tabalea cum omnibus quae sunt in mensa, et si ex hoc senex non indignabitur inveniam tibi amasium sine mora’. Fecitque ita. Senex autem indignatus et conturbatus nimium contra ipsam, non tamen ostendens discumbentibus, fecit aliam tabaleam portari et alia fercula apportari concepitque qualiter uxorem suam de tot excessibus vellet punire tan-

<sup>1)</sup> A *taglia il datolajo*.; B *un moro „Maulbeerbaum“*.

<sup>2)</sup> Cod. *insecisum*.